comitis posteritas dicti venerandi pontificis interfectionem defecit, nec in statu et honore, et adhuc hodie deficit
nunquam postea resurrexit. Sepultus est autem iste venerabilis
presul Engelbertus in ecclesia sancti Petri.

Henricus primus.

51 Quinquagesimo loco successit in regimine pontificalis cathedre Coloniensis eccle- | 50 G. p. c.
sie, sedens sub frederico imperatore II° annis 12 venerabilis presul Henricus I
~~primus~~ Hic de domo nobilium de Mulnarken ducens originem, de morte Engel-
berti sui predecessoris condignam sibi assumens ulcionem, primo castrum dicti
comitis sacrilegi homicide potenter obsedit, a fundamento diruit et solo coequavit.
Demum apud sedem apostolicam obtinuit, mitti unum cardinalem legatum in Coloniam
pro anathemate reorum mortis antecessoris celebrius exequendo. Tandem accedens
ad imperium, apud Nurenbergh in curia solempni principum ibi congregata, adductis
secum et ostensis in publico spectaculo vestibus antecessoris interfecti sanguino-
lentis, omnes in morte eiusdem reos banno imperiali damnari et subici | G. p. c.
procuravit. Insuper ipse idem Henricus archiepiscopus duos fratres dicti comitis
homicide, videlicet Theodericum monasteriensem et Engelbertum Osnabrugensem ecclesia-
rum episcopos, tanquam de fautoria fratris suspectos, ab episcopali dignitate et officio
pontificali deponi procuravit. Ad ultimum autem dicto comite profugo insidias undique sta-
tuens, ipsum in Leodio captum a quodam milite pro duobus milibus marca-
rum redimens, Coloniam adduci atque rotali supplicio plecti demandavit, prout
hec supra in gestis dicti domini Engelberti archiepiscopi plenius continetur. | 51

Conradus.

52 Quinquagesimus primus ascendit ad pontificatum Coloniensis ecclesie Conra-
dus, natione de Hostaden, maior prepositus, vir tanto honore et nomine dignissi-
mus, sedens in cathedra episcopali annis 23 et dimidio. Hic suo
tempore Coloniensem ecclesiam amplis possessionibus et nobilibus prediis
plurimum sublimavit. Fuit autem iurium et libertatum ecclesie
pugil strenuus et propugnator, prospera simul et adversa secundum varietatem
temporum equo animo ferre doctus. Unde ipse per Wilhelmum
Comitem Iuliacensem, ecclesie Coloniensis illo tempore infestissi-
mum persecutorem, in conflictu bellico captus, in castro ipsius
comitis scilicet Nydecke per novem menses iacuit vinculatus. Iste | a/Hilfer 2.
et in aggrediendis arduis intrepidus, cum Fredericus II imperator
per Innocencium 4tum papam ab imperio fuisset depositus,
tanquam sedis apostolice filius obediens et fidelissimus de mandato
ipsius domini pape ad excludendam ab imperiali successione
prefati frederici imperatoris posteritatem seu parentelam
sua industria, sagacitate atque potentia tres successive princi-
pes ad regnum Romanorum elegit, associatis sibi et allectis
aliis suis conprincipibus electoribus, prout tanti et ardui facti
oportunitas exigebat. Elegit namque primo Henricum VII, Lant-
gravium Hassie atque Thuringie, qui cognomento Raspo voca-
batur, qui fuit filius beate Elizabeth vidue, eundem electum
sine mora in locum prefati frederici ab imperio depositi subrogando.